

Nf'12

27
26an

DISSERTATIO THEOLOGICA
DEMONSTRANS

QVOD SVBSTITVTIO VICARIA
IN OPERE REDEMPTIONIS NON
ADVERSETVR PERFECTIO-
NIBVS DEI

QVAM
SVB AVSPICIIS NVMINIS SUPREMI
PRAESIDE

VIRO SVMME VENERANDO, EXCELLEN-
TISSIMO AC DOCTISSIMO

IOANNE GEORGIO MICHAELIS
S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. AC ILLVSTR. GYMNASII
REFORMAT. EPHORO

FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO
AETERNV M COLENDO

AD DIEM V. APRILIS MDCCLVII.
HORA X IN AUDITORIO GYMNASII MAIORI

DEFENDET

aa.

A V T O R

IOANNES ADOLPHVS SCHWARTZMEYER
BEROLINAS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANN. CHRIST. HENDELII, ACAD. TYPOGR.

• 10 •

V I R O
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSVLTISSIMO

DN. CAROLO LVDOVICO SELIG
CLEMENTISSO BORVSSORVM REGI
A CONSILIIIS INTIMIS AC AVLICIS
DIRECTORII SACRI REFORMATORVM SENATVS ECCLESIA-
STICI CATHEDRALIS, AC COLLEGII, CVI CVRA REI
VEHICVLARIS EST CREDITA, CONSILIARIO

NEC NON
ILLVSTRIS GYMNASII REGII IOACHIMICI ALIARVMQVE
SCHOLARVM DIRECTORI CET.

V I R O
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,
DOCTISSIMO
DN. AVGVSTO FRIDERICO
GVILIELMO SACK

SACR. REG. MAL. BORVSSICAE CONCIONATORI AVLICO
PRIMARIO, SENATVS ECCLESIASTICI REFORMATORVM MEM-
BRO DIGNISSIMO, SVMMI CONSISTORII CONSILIARIO ET RE-
GIAE SCIENT. ACADEMIAE SODALI ORNATISSIMO

V I R O
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSVLTISSIMO
DN. GVILIELMO DE IRRVING
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CONSILIIIS CAMERAE IVSTITIAE AC AVLICIS
SENATVS ECCLESIASTICI REFORMAT. MEMBRO DIGNISSIMO
ET ILLVSTRIS GYMNASII IOACHIMICI CVRATORI

VIRIS
SVMME VENERABILIBVS, EXCELLENTISSIMIS,
DOCTISSIMIS

DN. CHRISTIANO SCHOLTZ
SACR. REG. MAI. BORVSSICAE CONCIONATORI AVLICO
ET ECCLESIAE CATHEDRALIS

DN. IOANNI PHILIPPO HEINIO

S. S. THEOL. DOCTORI,
GYMNASI REGII IOACHIMICI RECTORI AC PROFESSORI
PRIMARIO, REGIAE SCIENTIARVM ACADEMIAE
CLASSIS PHILOSOPHICAE DIRECTORI

VIRIS
NON MVNERVM AC DIGNITATVM SPLENDORE SOLVM
SED ET ERVDITIONIS, VIRTVTVM ATQVE MERI-
TORVM GLORIA CELEBRATISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS SVIS
IN OBSERVANTIAE,

GRATITUDINIS AC SUBMISSAE VENERATIONIS
TESSERAM LABOREM HVNC ACADEMICVM

D. D. D.

A V T O R.



§. I.



Demonstraturus, quod substitutio vicaria in opere redemtionis non aduersetur perfectionibus divinis, *primo* notiōnem substitutionis vicariæ ex iis, quæ inter homines locum habent, evolvam: etenim res humanas, mutatis mutandis, ad Deum transferre licet, quoniam alias pauca de ipso, ipsiusque operibus cognoscere possemus, si hac ratione imbecillitati nostræ succurrere, integrum non esset, hicque mos & Theologis & Philosophis satis est in usu. *Deinde* ostendam, in opere redemtionis eiusmodi substitutionem vicariam omnino obtainere, exponendo narrationem Evangelistarum atque Apostolorum; ostendamque, illi omnia substitutionis inesse requisita. Et *denique*, quod hæc substitutio non aduersetur perfectionibus Dei: quibus peractis, finem meum asecutum fuisse, mihi videor, eique satisfecisse.

A

§. II.



§. II.

Observamus primo in res humanas intuitu, quod, cum homines in societate vivant, alter alteri sit obligatus, tam nexu naturali, ita ut nulla re externa acedente, certa quadam officia aliis praestanda habeat: quam per contractus & pacta, quibus, stipulatione facta, adstipulatur, se hoc illudque praestiturum, si alter promissis suis steterit. Est autem *obligatio* illa actus, quo cum actionibus liberis motiva coniunguntur, scilicet motiva vel volendi, vel nolendi. Hac motivorum cum actionibus coniunctio, vel sequitur ex ipsa actionum liberarum natura, atque tunc dicitur *obligatio naturalis & connata*, vel per voluntatem liberam sunt coniuncta, & dicitur *positiva* vel *arbitria*. Sunt adeo in obligatione quaque haec tria notanda, I. *Actiones*, II. *motiva*, ad eas vel perpetrandas, vel omittendas, III. *Connexio motivorum cum actionibus*. Ergo adsint necesse est subiectum, quod actiones liberas edere vel omittere, & persona, quae motiva cum actionibus coniungere possit. Fons obligationum naturalium est ipse Deus, qui motiva, id est, vel praemia vel penas cum observatione vel transgressione legum naturalium conneget: fons vero obligationum acquisitarum, sive liberarum sunt pacta & leges forenses. His obligationibus acquisitis & liberis ut satisfiat, leges forenses iubent, iisque invigilant, quo sic quies publica servetur.

§. III.

Sæpius vero accidit, ut non nemo obligationibus suis, quas libere per contractus suscepit, satisfacere non

non possit, v. c. si propter infortunium, quod neque prævidere, neque avertere potuit, certam pecuniaë summam solvere non potest, quam tamen ex pacto solvere tenetur. His circumstantiis adactæ leges fo- renses permittunt, ut vel *fideiussione*, vel *expromissio-*
ne unus in locum alterius succedat: posterior eo pa-
 sto, ut totum pro altero solvat, prior autem ea condi-
 tione, ut si reus non sit solvendo, ille solutionem præ-
 stet, sed eam tantummodo partem debiti, cui solvendæ
 reus non est. Ergo reus hoc in casu non ab omni ob-
 ligatione liberatur, sed tantum ex parte: in superiori
 autem casu prorsus ab omni obligatione liber pronun-
 ciatur. Hic processus in foro humano cura boni pu-
 blici permittitur, ut tam alteri satisfiat, neque alter ta-
 men pereat, utque unicuique ius suum tribuatur.
 Tertius igitur ille, *fideiussor*, vel *expromissor* obliga-
 tionem in se recipit, eamque implet, hacque ratione
 personam rei induit, & hic immunis iudicatur. Hic
 actus dicitur *substitutio vicaria*, quoniam alter pro al-
 tero substituitur.

§. IV.

Est igitur *substitutio vicaria* actus, quo tertius ali-
 quis, propter impotentiam rei obligationem eius in se
 recipit, ad ei satisfaciendam, & personam eiusdem,
 quoad hunc aëtum, induit. Hic actus substitutionis
 vicariae omni tamen ex parte liber esse debet, & inpri-
 mis respectu illius tertii, qui personam alterius sibi
 imponit, nemo enim ad alienam obligationem in se re-
 ciendam cogi potest; quisque quippe est plenus re-
 rum suarum dominus, ac de illis & de voluntate sua
 statuere potest. Neque reus cogendus, ut tertii illius

A 2

inter-



interventionem admittat. Iudicis quoque partes nullæ aliae sunt, quam ut parti læsæ satisfiat, quod sive a reo ipso, sive ab alio fiat, non curat.

§. V.

Hinc sequentes efferrimus positiones: I. ubique que est substitutio vicaria, ibi adesse debet obligatus. II. Qui obligationem ipse implere nequit: si enim reus ipse est solvendo, & obligationi satisfacere potest, substitutione non est opus. III. Fideiussor, vel expromisor, qui obligationem in se recipit vel totam, vel ex parte. IV. Qui se liberrime ad hoc determinat. V. Cuius porro humeri hoc onus ferre valent. VI. Obligationi quoque re ipsa satisfacere debet, quippe ad quod per promissum suum tenetur. Hæc axiomata eo consilio adposuimus, quo nobis inserviant ad ostendendum, in opere redēctionis substitutionem vicariam locum habere, eique omnia inesse requisita.

§. VI.

His præmissis, ad argumentum quod tractandum sumsimus, pedem promovemus. Homo Deo est obligatus, quod negari nequit, nisi quis dicere velit, hominem esse a Deo independentem, contra quem vero tota natura clamitat. Supremum enim illud Numen, qua creator noster, nos ex nihilo producendo, & conservator noster, dum multisfariis nos bonis afficit, plenum in nos habet dominium; hinc ius habet nos obligandi; hinc cum actionibus nostris motiva coniungere; hinc in nos ob actiones nostras præmia conferre, vel peccatis nos ob omissionem actionum bonarum afficer potest; hinc certa quedam officia præscriptione legum

legum postulare potest. At postulavit, id est, injunxit nobis, ut erga se amorem, pietatem, timorem filialem & sanctitatem colamus, ut erga nos ipsos aequi simus, nosque perficiamus, ut proximum amemus, omniaque illi officia praestemus, quæ ex hoc amore fluunt. Observationem horum officiorum remunerare promisit, eorumque neglegentum punire, est minatus: quod omnes, qui Deum agnoscunt, concedere coguntur; non enim solum vox conscientia id nobis iniungit, sed totius insuper naturæ. Quid? quod Deus etiam in sacra scriptura his titulis officia memorata ab hominibus efflagitat.

SCHOL. I. Lex naturæ, quod in aprico est, officia supra memorata nobis imperat. Cum iam Deus nulla alia a nobis efflagitet officia, pater, legem naturæ esse illam, per quam Deus nos obligat, Deum cum actionibus hisce motiva vel volendi, vel nolendi coniunxit, hinc observationem legis naturæ remunerari, transgressionem punire velle.

SCHOL. II. Sunt, qui contendunt, legem naturæ ex natura ipsa, id est, ex nexus rerum iam existentium promanare, ac perhibent, legem illam exsitarum quoque, et si non esset Deus, hinc Deum autorem huius legis non agnoscunt, ergo dici non posset, Deus nos per legem naturæ obligare. Alii sententiam hanc impugnarunt & demonstrare sunt conati: Deus utique legis naturæ esse autorem, camque non pendere a nexus rerum. Verum utraque sententia conciliari potest, quod nonnulli iam fecere, Deus enim, dum est autor & conditor huius universi, est autor naturæ, hinc leges illas naturæ indidit, sive ab ipso proficiscuntur. Si iam Deus est Autor naturæ & legum eius, nos quoque per has leges, obligat, ergo etiam per legem naturæ.



§. VII.

Solliciti hinc mortales esse debent, quo his obligationibus satisfaciant & officia illa impleant. Primus utique ille homo, qui ex manibus Dei veniebat, tot & tantis praeditus erat animi facultatibus, ut legem hanc exactissime observare potuerit. Etenim lex naturalis profluit ex nexus rerum (§. VI. schol. II.) & ex relatione quam habebat homo ad Deum, ad proximum & alias res creatas, neque aliae leges dari poterant, quam quæ per relationem illam erant possibles, ergo etiam homo, has relationes observare, iisque satisfacere potuit. Præterea Deus, siquidem iustissimus sapientissimusque, eidem non graviora, quam quæ implere potuit officia, imposuit. Sed iam quaeritur, an homo, qualis iam per peccatum est infirmatus & corruptus, has obligationes implere, & an Deus officia per legem naturae iniuncta adhuc flagitare queat? ad hanc quæstionem decidendam opus est primo, ut terminos harum obligationum rite definiamus. Postulatur nempe I. vt homines universo iuri naturæ satisfaciant, II. ut haec actiones omnibus legibus simul sumtis respondeant; alias enim, cum observatio legis est convenientia actionum nostrarum cum lege, nonnullis legibus actiones nostræ convenienter, aliis contrariarentur: nonconvenientia autem actionum cum legibus, est earundem transgressio, quæ punienda. Hinc sequitur, si actiones nostræ non cum omnibus legibus simul sumtis convenient, nos peccare; hinc si ab omnibus peccatis liberi esse debemus, actiones nostræ omnibus legibus respondeant necesse est. III. Ut ex iustis motivis proficiuntur, scilicet ex motivo gloriæ divinæ; nam ultimus

ultimus Dei finis in creando hoc universo fuit gloria
 sua, quare ex hoc summo Dei fine motiva actionum
 nostrarum sumere debemus. Prima lex iuris naturae
 est, *perfice te ipsum*: quæ etiam debet esse motivum
 actionum nostrarum, quippe cum præcedenti quam
 maxime coniuncta est hæc regula. Quæcumque igit
 tur actiones non ex his oriuntur motivis, sunt ipsuriæ,
 hinc transgressiones legis & peccata. IV. Ut ad rectos
 dirigantur fines. V. Denique ut hæc omnia habituali
 ter fiant. Iam omnium hominum experientiam te
 stor, an quis gloriari possit, se hæc omnia præstisse,
 vel præstare posse! Neque enim sufficit, ut quis per
 aliquod temporis spatium, quantum ipsi possibile fuit,
 omnes has leges observaverit, verum hic totius vitæ
 ratio est habenda, tunc enim peccatorum multitudo
 erit quam maxima. Contra quæ asserta cum nemo
 quidquam cum ratione dicere possit, concludimus,
 quod homo iam non aptus sit, qui legibus divinis po
 stulatum obsequium præstet. Inde porro concludi
 mus, homines prima sua dignitate ac præstantia exci
 disse, ita ut inepti sint facti, qui legem naturæ exquisi
 sime servent. Cum iam Deus cum actionibus nostris
 motiva, id est, præmia vel poenæ coniunxit, poenæ ob
 violatam legem nos manent, & in miseriam infinitam
 incidiimus, ex qua, nobis ipsis relictis, liberare non
 datur; nam præteritæ transgressiones sine satisfactiōne
 aboleri nequeunt, & peccandi nullus est finis. Non
 disquirimus iam, quo modo homo vires, quibus gau
 debat, perdidit. Satis mihi est, monstravisse, & al
 terum substitutionis vicariæ requisitum hic locum ha
 bere (§. V. n. II.). Per peccatum Deus ius postulandi
 obse



obsequium ab homine non amisit, cum maxime, quoniam impotentiam servandi legem sua sibi culpa attraxit. Manet is in relatione ad Deum, & quoniam obligationem servandi legem non implevit, obligatio ad paenam ipsum premit. Hanc vel ipse sustinere debet, vel alius, qui per substitutionem vicariam ipsius locum supplet.

§. VIII.

Qui iam alterius obligationem sibi imputare patitur, id vel amicitia, vel misericordia adductus, facit. In opere redēptionis Mediator, qui propter hominis imbecillitatem legem divinam implendi, personam eius in se recepit, tam amore in illum, quam misericordia est ductus. Num vero talis mediator adest? Sacra hoc litteræ edocent. Affirmant nempe Iesum Christum, in quo natura divina cum humana in unitate personæ quam arctissime fuerit coniuncta, tempore Herodis M. in Iudea fuisse natum, anno ætatis suæ trigessimo & sequentibus doctorem egisse, doctrinam suam vita adeo sancta ornasse, ut nemo ipsum peccati alicuius insimulare potuerit, populoque viam ad Deum monstrasse, passum, mortuum esse, ex mortuis resurrexisse, in cœlosque ascendisse, sicque amore nostri, quam nos merueramus paenam, in se recepisse, nos Deo reconciliasse, nobisque ius ad salutem æternam paravisse. Singula probare, studebimus. Primo itaque certissimum est, & nemo negare audet, tot quippe testimonis & Iudeorum & Ethnicorum stabilitum atque firmatum, tempore Herodis, Augusti, Tiberii in Iudea hominem nomine Iesu insignitum, trigesima & plures annos vixisse, miracula edidisse, quæ neque

neque a Iudeis negantur, et si ea extenuare & vi Satanae
 perpetrata esse perhibent, & evincere conantur.
 Porro, illum docuisse, de qua ipsius doctrina conferri
 possunt narrationes Evangelistarum, quae quidem tam
 sancta, pura atque pia fuit, ut neque atrocissimi Christi
 hostes, illam aggredi, maculisque adspargerere, aut fal-
 sitatis convincere potuerint. Tandemque Iudaeorum
 furore Ethnici traditum atque cruci affixum fuisse.
 Illa Christi mors crucis in disceptationem quoque non
 venit, quippe quae quam plurimis est testimoniorum com-
 probata, ita ut Christianorum hostes, mortem crucis
 magistri sui illis exprobarent, eisdemque ignominiam
 hoc modo adfricare tentarint. Verum enim vero
 queritur, qualē rationē mors hęc habuerit? Dan-
 tur ex illis, qui se Christianos dicunt, qui illam tantum
 martyrii fuisse contendunt, qua doct̄or & restaurator
 vitae sanctae, doctrinam suam confirmare, nobisque
 exemplum pietatis, constantiae & resignationis in vo-
 luntatem Dei suggestere voluerit. Alii vero, doctrinæ
 sacræ scripturæ strictius adhærentes, mortem Christi
satisfactoriam fuisse, recte contendunt, hancque sen-
 tentiam ipsis divinarum litterarum effatis confirmant,
 quae perhibent, Christum loco nostri passum mortu-
 umque fuisse, & penam, quae ob transgressiones le-
 gis nos manebat, in se suscepisse, sicutque nos ab æterna
 miseria liberasse. Ex multis illis locis, pro hac senten-
 tia militantibus, sequentia excitasse sufficiet: Christus
 ipse dicit Marc. X, 45. Matth. XX, 28. se dare animam
 suam λύτρον ἀγνώστῳ πολλῶν *premium redemptionis pro multis.*
 Si igitur Christus nos redemit, redemit nos a peccatis
 nostris, hinc a pena peccatorum, hinc obligationem

B

nostram



nostram in se recepit ac oblitteravit, ergo pro nobis satisfecit, ergo mors Christi fuit satisfactoria. Præterea de vocula ἀντι observarunt Philologi, illud substitutionem denotare, ut videre est Matth. V, 38. ubi dicitur: ἀφθαλμὸν ἀντι ὀφθαλμόν, καὶ δόντα ἀντι ὄδοντος oculum pro oculo & dentem pro dente; & Luc. X, 11. si pīscem petierit filius, μὴ ἀντι ἵχθυός ὅφιν ἐπιδώσει ἀντόν, num pro pīscē serpentem dabit illi? Mortem Christi satisfactoriam fuisse elicit quoque ex Act. Apost. XX, 18. ubi dicitur: *Christum sibi ecclesiam suo sanguine redemisse.* Unde patet, Christum cœtum sibi pretio, eodemque maximi valoris, sanguine scilicet suo in suum sibi peculium acquisivisse, conf. I Cor. VI, 20. Mors igitur Christi cruenta fuit satisfactoria, illam enim subiit, quo populum suum peccati ac mortis vinculis expedire, illumque per spiritum suum ita ornaret, ut populum peculii esse omnibus adpareret Tit. II, 14. Hunc finem per mortem Christi intentum fuisse, etiam Apostolus in Epist. ad Ebr. affirmat: mortem Christi factam esse *εἰς ἀπολύτρων τῶν παραβάτων in abolitionem transgressionum* Ebr. IX, 15. Ergo si transgressiones abolitæ sunt, pena sublata & nos liberati sumus, ergo Christus pro nobis est substitutus, ergo mors ipsius fuit satisfactoria. Idem alibi dicit: *uno mortuo omnes mortui sunt*, 2 Cor. V, 15. Christus in negotio redemptionis spectatur tamquam caput representativum, omnium illorum, qui corpus ipsius mysticum efficiunt: ipso igitur mortuo, omnes in illo mortui iudicantur, fructum mortis ipsius vicariæ percipiunt, propterea illico subiicit, καὶ ὑπὲ πάντων αἰνέδαντες & pro omnibus, vice, loco & bono omnium, *mortuus est.*
Caus-

 

Caussam impulsivam mortis Christi fuisse peccata nostra, adeoque per illam aliquid iustitiae divinae soluisse, luculenter docet Ies. LIII, 4.5. Ex omnibus hisce colligimus, eorum esse explodendam sententiam, qui Christi mortem exemplarem tantum fuisse contendunt, nosque in recta stare sententia. Ergo fuit, qui obligationem nostram in se susciperet (§. V. n. III.).

§. IX.

Ad hanc mortem Christus sese liberrime determinavit, quod est ex requisitis substitutionis vicariæ (§. V. n. IV.). Cum patre suo ab aeterno pacis consilium init Zach. VI, 12. 13. redēntionis pretium inventit, quo minus homo in aeternæ corruptionis foveam descenderet Iob. XXXIII, 24. Qui quemadmodum libere voluntati patris sui est adsenfus, & sponsonem in se suscepit, ita etiam sponte sua humanam naturam induit, quo in illa omni cum lubentia effectui daret, quod ad reconciliationem hominis requirebatur Psal. XL, 7-9. In potestate sua esse vitam suam dandi pro oīibus suis, eandemque, illis faucibus satanæ ac mortis expeditis, resumendi, testatur Christus Ioh. X, 15. 18. Quid evidenter his verbis? servator certe libertatem suam melius exprimere non potuisset? habuit in animam, vitam suam, potestateni absolutam, hinc liberri me egit. Dedit se ipsum *avt̄lvt̄go redēntionis pretium pro omnibus* I Tim. II, 6. Dedit se ipsum ut redimeret nos ab omni iniuitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum Tit. II, 14. Qui autem se in salutem aliorum dat, ille summa utitur libertate. Quam suam libertatem atque

Iubentiam etiam demonstravit, ubi se hostibus suis lumentem obtulit Ioh. XVIII, 4-8. Christus, quoniam divina pariter ac humana constitut natura, utraque se liberrime ad opus redemtionis determinare debuit. De divina natura nullum superest dubium. Quod humanam spectat, dici possit, illam, quoniam tunc, cum consilium pacis caperetur, nondum exstitit, libertate sua non usam fuisse. Sed respondetur: humana natura licet actu nondum exstiterit, potuit tamen illi, qui cogitationes animæ, illius propensiones ac inclinations omnes, motiva pariter illarum, ab omni æternitate penitissime perspecta habuit, tamquam existens ac libere se ad redemtionis opus determinans, obversari. Id ipsum etiam ex consideratione voluntatis demonstrari potest. *Voluntas*, etiam si liberrime agit, semper tamen agit ex motivis vel volendi, vel nolendi, eaque, si sunt magni momenti ac ponderis, ad difficillima voluntatem determinare possunt negotia. Iam in opere redemtionis, tot & tanta naturæ humanæ servatoris proposita sunt præmia, ut quocumque tempore exstitura esset, illud in se suscepturnam fuisse, non sine ratione dicere queamus. Erant autem summa gloria, regnum æternum non in ecclesiam tantum, verum etiam in universum mundum, & subiectio omnium hostium suorum Zach. VI, 13. Psal. II, 6. 8. CX, 1. seq. Luc. XXII, 29.

§. X.

Denique affirmamus, servatorem stupendum hoc onus ferre potuisse & ipso actu tulisse (§. V. n. V. & VI.). Ea, quæ Christus pro nobis præstare debuit, ad duo redeunt momenta, scilicet *actiones & passiones*: *Actionibus*

nibus legem, quam nos perseste atque exacte servare in hoc statu non possumus, pro nobis implere eique satisfacere, *passionibus*, malum nobis imminens avertere atque tollere debuit. Utrumque præstitit. Ad primum quod attinet, quoniam supernaturaliter erat natus, ipsa naturæ humanæ vi, illud præstare potuit. Etenim peccata ex triplici promanant fonte: ex peccato originali, quod per congenitam impuritatem in nos derivatum est, mala educatione, malis exemplis, ac peccandi habitu corroboratum. A Christo autem peccatum originale absfuit, quoniam, ut iam dictum est, non erat modo naturali natus, ut per generationem malum hoc ad ipsum non fuerit traductum. Facultates igitur animæ ipsius non erant, ut in nobis depravata & peccatum Adamicum ipsi imputari non poterat. Optima, usus est educatione, quippe qui a parentibus & ipsis sanctis piisque, in viis domini fuit eruditus: divina natura intellectui admirabilem cognitionem, scientiæ ac sapientiæ lucem infudit, voluntatem per efficissima motiva ad bonum omne morale flexit, Luc. II, 52. Constans propositum, voluntatem patris faciendo, ipsum præservavit, quoniam malis exemplis ad vitia abriperetur. Sed nonne Christus prædictus erat animi, quas appellamus, passionibus? omnino: sed negamus, illis in homine integro recti & sceleris puro mali aliquid inesse, cum ne quidem in nobis, si intra iustos detineantur cancellos, sint vituperandi. Quod ad passiones attinet, illæ, quoniam ira Dei in peccatores sat magna, imo infinita erat, infinitæ quoque esse debebant. Ad eas igitur supportandas, infinitæ requirebant vires, quas, quoniam natura humana illis



prædita non erat, divina suppeditavit, quæ naturam
 humanam patientem suffulxit, eiusdemque passionibus
 infinitum pretium addidit. Merus homo pondus iræ
 divinæ sufferre non potest, quoniam inter vires illius
 finitas & infinitam poenam nulla intercedit proportio,
 horrendis illis cruciatibus, in quibus ira Dei se pro-
 dit, succubuisse: *frater fratrem redimere non potest.*
 Ps. XLIX, 8. Christus, in quo natura divina ac huma-
 na arctissimo vinculo coniunctæ fuerunt, potuit. Quo
 concessio, concedi debet, illam huic in opere redem-
 tionis suppetias tulisse, quippe haec fuit ratio coniun-
 ctionis. De coniunctione illa, fatis luculenter testa-
 tur Cap. I. Ioh. præcipue v. 15. ubi dicitur: *& verbum*
 (quo sine omni dubitatione secunda Deitatis persona
 indigitatur) *caro factum est, & habitavit inter nos;* id
 est, quemadmodum sub externo symbolo olim in ta-
 bernaculo & templo priori habitavit, ita nostram in-
 duendo naturam, in illa vere σωματικῶς Col. II, 9. habi-
 tavit: quare Paulus iure optimo de ipso pronunciat
 Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σώματι, I Tim. III, 16. Hinc etiam in
 sacris litteris istiusmodi nomina, opera & honores ei-
 dem tribuuntur, ad quæ utraque natura concurrit, &
 in admiranda illa coniunctione rationem suam habent,
& vidimus gloriam eius, gloriam ut unigeniti patris,
plenam gratia & veritate. Christus quoque postula-
 tis legis omnino satisfecit. Tota eius vita testis est,
 quam exæcte legem Dei impleverit. Qua pietate in
 Deum fuit? quo amore in Iudeos, ut ne quidem
 scelus eorum ipsis imputari voluerit? qua misericor-
 dia in errantes & desperditas oves domus Israelis? Ex
 ore eius nil egrediebatur falsi, neque inimici ipsum
 unius

unius peccati arguere poterant, unde satis patet, Christum legem divinam perfecte servasse. Ad passiones quod attinet, infinitas plane subiit, quod videre est ex iis locis, ubi de illis conqueritur Matth. XXVI, 38. Marc. XIV, 34. *anima mea contristata est valde usque ad mortem.* In horto sanguinem sudavit & angelus ipsum corroboravit Luc. XXII, 43. 44. in cruce pendens, moribundus exclamavit: *mi Deus! mi Deus! cur me deseruisti?* Matth. XXVII, 46. & Marc. XV, 34. Sed quæ ratio tantæ, quæ ipsum invasit, tristitia, quæ cauſa, quare in adeo flebiles erupit eiulatus? Num igitur infirmior fuit martyribus, qui ſæpe atroces cruciatus lati ac tripudiantes sustinuerunt? an de auxilio Dei, in quo tamen fiduciam ſuam reponitam habuit, desperavit? Minime gentium. Maioris momenti aliquid subfuit, nempe omnium creditum peccata tunc expiavit, poena infinita, quam peccata haec meruerant, humeris eius fuit imposta: hinc illa tristitia, hinc illæ querelæ, inde gravitas passionum ipsius. Quibus extantatis, quo publicum aliquod testimonium innocentia ipsius ederetur, ac omnibus constaret, ipsum perpectionibus ac morte sua grave aliquid ac momentum effectui dedisse: stupenda mortem Christi comitabantur signa, obscuratio ſolis inſueto tempore per horas aliquot durans; terræ motus; ſcissio velaminis templi, resurrectio nonnullorum sanctorum, ab aliquo iam tempore demortuorum, eorumque in urbe apparicio, quæ signa praesentium aliquos adegerunt, ut veritati luculentum darent testimonium, confitendo, Iesum vere esse filium Dei Matth. XXVII, 45-54.

§. XI.



§. XI.

In foro humano nemini, obligationem rei in se suscipere, personamque eius induere, datur, nisi sit, eorum rerum, quibus obligatio tolli debet, plenus dominus, de alienis enim rebus nemo statuere atque disponere potest: hinc obligationem alterius, rebus, in quas nullum habet ius atque dominium, tollere nequit. Hinc sit, ut in foro humano, sponsio illa non recipiatur, si quis vita sua obligationem, vel pœnam capitalem tollere vellet, quoniam scilicet nemo vitæ suæ est plenus dominus. Hæc est regula æquitatis atque iustitiae. Cum iam hoc respectu, eadem sit ratio substitutionis vicariæ in opere redēmptionis, quæ est substitutionis inter homines, eadem hæc quoque observanda regula. Quoniam iam Christus vitam suam dando, nostrum reatum delevit & expunxit, oportuit ipsum vitæ suæ dominum atque arbitrum esse, quo sic sua sponte agere posset. Sacra id testantur litteræ. In loco iam citato Ioh. X, 18. *nemo auferat*, inquit Christus, *animam abs me, sed illam pono mea sponte, potestatem habeo ponendi illam, & potestatem habeo resumendi eam.* In Christo cum natura humana divina arcto fœdere fuit coniuncta, ob quam coniunctionem eximia ipsi prærogativa & praestantia competebat: hinc cum esset *Iesus Christos*, ipsi debebatur ius in propriam vitam. Reliquis hominibus ea de cauſa non prius vitam suam ponere & stationem suam relinqueret licet, quoniam vitam suam Deo in acceptis ferre debent, & eos fines ignorant, quos Deus eorum operi vult consequi, isque actus esset violatio iurium, quæ Deus sibi soli reservavit: Christus vero, qui qua Deus huma-

humanam naturam sibi aptaverat, fatorum & finis existentiae suae plane gnarus erat, vitam suam ob hunc finem deponere potuit. Tandem vero Christus quoad humanam naturam ob motiva gravissima & ponderosissima, satisfactionem pro genere humano in se suscepit (§.IX.), hinc etiam penes eum esse debuit, vellet ne mortem subire, nec ne: hinc necesse fuit, ut vitae suae haberet potestatem, ut sic libertate sua uteretur, quæ magnum in hoc opere constituit momentum. Sicque omnia requisita, quæ ad substitutionem vicariam requiruntur, hic adsunt (§.V.), Christusque vere pro nobis substitutus est.

§. XII.

Christus in redimendis hominibus a peccatis eorumque poena, non id spectavit, vt homines ab omni obligatione liberaret, quo sic pro lubitu suo viverent, nulla cum actionibus suis coniuncta haberent motiva vel volendi vel nolendi, quo lege divina naturali & morali prorsus sint soluti; sed eos tantum ab iis obligacionibus liberavit, quibus ipsis satisfacere plane non potuerunt, hinc partem aliquam obligationum ferendam ipsis reliquit. Propterea conditiones nonnullas, salutis propter mortem suam impetrandæ, constituit, quæ sunt fides atque sanctitas. Has esse salutis impetrandæ conditiones nemo facile negabit, ubi autem sunt conditiones, ibi dantur motiva, motiva cum actionibus semper sunt coniuncta, vbi est coniunctio motivorum cum actionibus, ibi est obligatio, ergo adhucdum obligati sumus, ergo Christus nos non ab omnibus obligationibus liberavit, si autem quis dicere vellet, Christum nos ob omnibus obligationibus liberasse, sed novas tamen

C

impo-



imposuisse, neque hoc omnino concedi potest, aut res prorsus ad idem rediret. Confligamus enim haec duo invicem: si Christus non venisset, tunc obligati fuissent ad Deum cognoscendum & colendum, vel ad legem naturæ observandum, Deus quippe cum totali & perfectissima legis observatione praemia, cum transgressione penas coniunxerat. Iam cum Christus apparuit; pariter obligati sumus ad Deum cognoscendum atque colendum, ad leges observandas erga nos ipsos & erga proximum: non quidem ut per officia hæc ius ad vitam aeternam nobis paremus, sed ut ostendamus, nos illos esse, qui redēptionis Christi participes fuerint facti, & ut nos pro tanto beneficio gratos præbeamus. Quocum nostro obsequio ex gratia præmium coniunxit; cum pertinaci autem transgressione legis & spredo merito Christi penas connexuit. Ecce differentiam obligationum! in priori statu ad totalem & perfectissimam legis observationem: in posteriori autem statu ad observationem legis, quantum in nobis est, obligamus: si modo sancta fide ad Christum humillime confugimus, eiusdem meritum nobis vindicamus, & per ipsius spiritum ad imaginem Dei renovati, in boni ac recti studio, omnem integratatem ac debitam contentionem adhibemus.

§. XIII.

Hæc necessaria duximus monere, quo sic sequentia illis superstruere possimus & clariora fierent. Prius vero evincamus oportet substitutionem vicariam Christi non contrariari optimo mundo, sed potius cum ipso optime concordare, quam demonstremus, illam non adversari perfectionibus Dei, unde magna ejus adfundere.

fundetur lux. Alibi demonstratur, mundum huncce omnium possibilium esse optimum; illum igitur locum, qui de hac veritate dubitat, adeat: nostrum hic non est, illam evictam dare. Potius leges eius ex eiusdem notione evolvemus, ostendemusque, substitutionem illam vicariam cum illis concordare. Mundus est series rerum sibi coordinatarum & se invicem subsequentium: iam præstantia mundi inde diiudicatur, si in hac serie rerum sibi coordinatarum & se invicem subsequentium, plures dantur perfectiones, quam in cerevis; & optimus mundus est illa series rerum, in qua plurimæ dantur perfectiones. Cum igitur hic mundus sit optimus, plures hic debent inveniri perfectiones, quam in reliquis. Hinc sequentia ducimus axiomata: I. Tot in hoc mundo dari perfectiones, quæ possibilis sunt. II. Tantis hic mundus gaudere debet perfectionibus, quanta possibilis sunt. Quæ duæ positiones ita evidentes sunt, ut nulla probatione egerint, siquidem ex ipsa fluunt definitione. III. Quo haec perfectiones ponderosiores habent consequentias, eo melior est mundus, etenim res quæque ex suis consequentiis solet diiudicari, quamquam non solum inde judicetur. Hinc cum perfectio ex suis consequentiis diiudicatur, eo maior erit perfectio, quo ponderosiores sunt consequentiae, & quo maior est perfectio, eo melior est mundus. IV. Perfectio partium constituit perfectionem totius; nam perfectio est consensus variorum ad unum, iam si partibus non inesse perfectio, esset in iisdem dissensus, partes vero, quæ inter se dissentient, ut ita loquar, non possunt conferre aliquid ad consensum totius. Hinc partibus mundi, seorsim speccatis, debet inesse perfectio, quo sic inde nascatur perfectio



fectio mundi universalis. Attamen non contendimus,
 partibus quibusdam non posse inesse imperfectionem
 quandam, sed potius dicimus imperfectionem partis
 alicuius non nunquam conferre ad perfectionem to-
 tius, quamquam hoc non subvertit canonem nostrum,
 sed est tantummodo exceptio quædam illius regulæ,
 cuius ratio aliunde petenda; non est quoque semper
 imperfectio, quæ talis videtur. Hinc sequitur V. quo
 plures partes perfectione gaudent, eo perfectius est
 totum, ergo & mundus. VI. Si perfectiones in parti-
 bus mundi reperiuntur, quæ plus conferunt ad ulti-
 mum Dei finem, maioris sunt momenti, quam si parti-
 bus minoris momenti insunt. VII. Omnes mundi per-
 fectiones debent tendere in salutem creaturarum &
 gloriam Dei, perfectio mundi enim consistit in consen-
 su variorum eius ad unum: iam illud unum est salus
 creaturarum & gloria Dei, ergo mundus optimus in-
 de diiudicatur, si plus confert ad salutem creaturarum
 & gloriam Dei, quam alii. VIII. Hinc perfectio par-
 tis alicuius non debet contrariari ceteris perfectioni-
 bus mundi; sic enim oriretur dissensus, qui tamen tol-
 lendus est, sive finis mundi non obtineretur. IX.
 Perfectio mundi ex nexus rerum naturali resultare de-
 bet; nam perfectio est consensus variorum, varia au-
 tem consentire nequeunt, nisi unum sit ratio alterius
 & hoc tertii, si autem unum est ratio alterius, tunc res
 invicem sunt connexæ, hinc perfectio mundi ex nexus
 rerum naturali, earumque viribus, quas Deus ipsis
 indidit, oritur; ita ut in mundo corporeo omnia ex le-
 gibus mechanicis procedant, & in mundo spirituali spi-
 ritus ex motivis, viribus suis, & connatis & acquisitis,
 agant

agant & operentur, quæ cum fiunt, res dicuntur *naturaliter* procedere. X. Attamen, si vires naturales deficiunt, ob gravissimas caussas *miracula* locum habent. Primo namque, mundus omnesque eius partes sunt contingentes, hinc mutabiles & mutari possunt: miraculum autem est eventus, viribus supernaturalibus produetus, hinc est mutatio rerum contingentium mundi, ita ut eventus, qui tali modo evenire deberet, iam per miraculum alio modo eveniat. Iam cum eiusmodi mutatio per optimum mundum sit possibilis, possibilia etiam sunt miracula. Præterea Deus miracula ob gravissimas caussas perpetrans, ipsa producit in salutem creaturarum suamque gloriam, iam falsus creaturarum & gloria divina est finis optimi mundi, ergo cum ipso concordant, & miracula in optimo mundo locum habent. Effet quidem ea ipsa perfectio, quæ per miracula efficitur, maior, si effet effectus virium naturalium optimi mundi, verum cum vires eius sint limitatae, omnia illa mala, quæ in mundum irrepserunt, quæ fini ipsius omnino contrariantur, eumque subvertunt, tollere non possunt. Si igitur illa mala, quæ harmoniam optimi mundi impediunt, sublata Deus vult, hoc ope miraculorum fieri necesse est.

§. XIV.

Per substitutionem vicariam Christi, omnes in eum credentes salvantur, id est, pena peccata subsequens tollitur, hinc obligationibus ab ipsis violatis satisfit, ergo & præmiis afficiuntur, quæ erant motiva ad observandas obligationes & officia, ergo aeterna beatitudo ob id meritum Christi ipsis adjudicatur. Eorum iam infinitus est numerus, hinc non solum tot homines

C 3

nrvefa-

◆ ◆ ◆

servantur, verum etiam gloria Dei promovetur, dum
 illi servati, hoc, quo affecti sunt beneficio, permoti, in-
 finitas Deo ac Christo agunt gratias, & pietatem, quan-
 tum ipsis possibile est, colunt. Nam intellectus eorum
 emendatur, voluntas sanctificatur, hinc Dei opera eius-
 que perfectiones melius cognoscunt, & maiestatem, bo-
 nitudinem, sapientiam, aliasque ipsius virtutes deprædi-
 cant, ac in nomine Iehovæ gloriantur. Actionibus
 quoque bonis ac vita sancta atque pia, quantum per
 vires, sibi per gratiam impertitas fieri potest, illum imi-
 tantur & honorant. Huc accedit, quod gloria Dei
 optime per creaturas rationales promovetur, quod
 multifaria sit ratione. Illa quidem satisfactio miracu-
 losa est, verum miracula in optimo mundo locum ha-
 bent (§. XIII. n. X.): ubi tamen notandum, licet vires
 naturales ad illam præstandam non sufficerint, illis ta-
 men non contrariari, potius easdem renovare, augere,
 provehere ac perficere: præterea tam graves atque
 momentosas habet consequentias, quibus malum e
 mundo eliminatur, adeoque cum nexu rerum natura-
 li optime consentit. Quo ipso patet: I. substitutione
 vicaria Christi perfectiones mundi multiplicari atque
 augeri (§. cit. n. I. II. III.), cuius quippe fructus in omnem
 perdurant aeternitatem. II. Substitutione vicaria par-
 tem mundi, quæ ad finem ultimum Dei plus confert,
 scilicet creaturas rationales, perficit; iam vero perfe-
 ctio mundi nascitur ex perfectione partium, & quo
 plures, quo partes maioris momenti perficiuntur, eo
 melior est mundus (§. cit. n. IV. V. VI.): hinc satis-
 factio Christi confert ad optimum mundum. III. Satis-
 factio Christi promovet gloriam Dei & salutem crea-
 turae.

turarum rationalium, iam vero finis optimi mundi consistit in gloria Dei & salute creaturarum (§. cit. n. VII.), ergo satisfactio Christi promovet finem mundi. IV. Perfectiones, ex satisfactione Christi proficiscentes, non contrariantur reliquis perfectionibus mundi, quibus quippe idem est finis: nam quaecunque ad unum finem concurrunt atque consentiunt, sibi non contrariantur. Si cuidam perfectioni contrariaretur, posset libertati noxia esse, quod autem minime fit. V. Quamquam satisfactio Christi sit miraculosa, non contrariantur tamen optimo mundo, ut iam ostendimus. Sic, quod volumus, efficitur, neque hoc solum, verum etiam, quod substitutio Christi ceteras mundi perfectiones in maiorem posuerit lucem atque gradum. Bonum, quod in creaturis erat, promovit atque insignem in modum auxit (§. XII.), reduxit veram atque genuinam virtutem, hominibus copiam fecit Deum rite cognoscendi atque colendi. Et quamquam non omnes homines re Etiam hanc viam insistant, permultis tamen haec gratia contingit, ut virtutem, pietatem, amorem in proximum, temperantiam, pacem, patientiam, constantiam colant, sicque felices evandant.

§. XV.

Idea, quam nobis de Deo, & a priori per ratiocinia & a posteriori formamus, & quam nos sacra scriptura edocet, eundem nobis ens perfectissimum sicut. Hac de Deo notio demonstrat, illum omnes possidere perfectiones, quæ in spiritum cadere possunt: & Deum has perfectiones in summo possidere gradu, quem nempe consensus inter perfectiones Dei, earumdemque harmonia permittit. Ille, verbi caussa, est sum-



summus bonitatis eius gradus, si regulis sapientiae conformis & accommodatus est. Etenim si cum illis non concordaret, esset inter eas dissensus, qui esset imperfctio, quæ in Deum cadere nequit. Hinc illa regula salva est & certissima, quod una Dei perfectio alteram circumscribat, hinc non est imperfctio, quæ infinitati Dei contrariaretur. Hic est ille, summis perfectionibus prædictus Deus, quem tota reveretur natura, quemque creaturæ glorificant omnes. Perfectiones divinæ sunt vel intellectuales, vel ad voluntatem pertinentes, utraeque pernecessariæ & venerabiles. Nostrum autem institutum postulat, ut posteriores potius consideremus, quam priores: etenim si substitutio vicaria Christi adversaretur perfectionibus Dei, esset contraria perfectionibus voluntatis, bonitati, sapientiae, iustitiae, quibus addere possumus maiestatem divinam: quæ perfectiones obiectum erunt nostræ meditationis, quibus si substitutio vicaria non contradicit, non contradicit perfectionibus Dei generatim spectatis.

§. XVI.

Habitus aliis bona præstandi est omnino perfec^{tio} spiritus, & vocatur, quia alii bonis afficiuntur, bonitas. Iam cum Deus omnes illas perfectiones possideat, quæ in spiritum cadunt (§. XV.), bonus est: ac quoniam perfectiones suas in summo possidet gradu, infinite bonus est. Quod tamen non ita est accipendum, ac si cuique creaturæ tot bona tribueret, quot in se & absolute spectata admittere potest, sed cum quæque creatura sit in nexus cum reliquis, in eiusmodi casu semper nexus universi est spectandus. Sic enim apparet, multa per se & absolute spectata esse possibilia, quæ tamen,

tamen, in nexus spectata, sunt impossibilia, v. c. esset absolute spectatum possibile, ut hic vel ille esset dives, aut potens, nam idea hominis non contradicit prædicato divitis vel potentis, tamen in nexus optimi mundi potest idea huius vel alterius hominis contrariari ideae divitis vel potentis. Hinc sequitur, ideam optimi mundi esse normam atque regulam bonitatis divinæ. Hoc idem est cum eo, quod demonstravimus §. XV, quod nempe una Dei perfectio sit norma atque regula alterius. Iam cum optimus mundus quasi sit centrum perfectionum divinarum & speculum, in quo omnes perfectiones divinæ concurrunt, optimamque constituant harmoniam, contrariaretur omnino bonitas reliquis Dei perfectionibus, si optimo mundo contrariaretur. Præterea optimus mundus est opus Dei, & perfectionum eius, iam Deus nil aliud produxit, quam quod cum perfectionibus eius potest consistere, iisque dignum est. Est igitur bonitas divina, illa Dei perfectio, qua cuique creaturæ tot bona tribuit, quot per nexus optimi mundi illi tribuere potest.

§. XVII.

Deus, dum unicuique creaturæ tot bona tribuit, quot per nexus mundi possibilia sunt, nullum alium bonitatis suæ habere potest finem, quam salutem creaturarum. Nihil aliud enim intendimus, si quem bonis adficiamus, quam ut eundem perfectiorem reddamus, iam perfectiorem aliquem reddere, & salutem eius promovere est unum idemque, ergo bonitatis divinæ finis est salus creaturarum. Cum hoc asserto optime consistere potest, quod finis ille sit gloria Dei, per salutem enim creaturarum optime illa gloria promovetur, ergo

D

hæc

hæc ambo coincidunt. Insuper in posteriori asserto caute est versandum, ne summo numini aliquid adscribamus, quod illo indignum sit. Quo minus bonitas Dei unicuique creaturæ tot bona tribuat, quot absolute & per se spectata, possibilia sunt, impedit nexus optimi mundi (§. XVI.). Quæcunque igitur bona creaturis tribuenda, cum optimo mundo simul stare possunt, illa Deus creaturis tribuit. Hinc has ducimus positio-nes: I. Deus omnia illa bona creaturis præstat, quæ per optimum mundum sunt possibilia. II. Quæcunque bona non contrariantur optimo mundo, ea Deus creaturis tribuit. III. Si Deus aliquod bonum, quod optimo mundo non adversatur, non tribuisset, tunc ipse bonitati suæ contrariaretur. Quæ omnes regulæ satis luculentæ sunt, & ulteriori probatione non egent; quippe bonitati divinæ sunt essentiales, earumque fali-tatem nemo ostendere poterit, nisi definitionem nostram fallitatis arguat atque subvertat.

§. XVIII.

Cum bonitatis diuinæ obiectum sit salus creatura-rum (§. XVII.), homo eiusque salus huc eo magis per-tinet, quoniam plus confert ad optimum mundum & ultimum Dei finem, quam aliæ creaturæ. Illam homi-nis salutem Deus omnibus illis modis promovere stu-det, qui nexu rerum mundi optimi non contradicunt (§. cit.): iam vero satisfactio per Christum facta non contradicit optimo mundo (§. XIII. XIV.), hinc quo-que bonitas Dei per hanc viam homines servare studet ac studuit, etiam si modus hicce miraculosi quid habet, nam miracula hic locum habent (§. XIII. n. X.) Quin imo Deus, si hoc neglexisset, ipse bonitati suæ fuisset contra-

contrariatus, dum bonum, quod per optimum mundum possibile fuit, creaturis non tribuisset (§§. citat.), quod de Deo cogitare nefas est, quippe per bonitatem voluit & per omnipotentiam potuit hoc bonum creaturis tribuere. Bonitati divinae hoc quoque obesse non potest, quod iustus pro iniustis, insens per fontibus mortem & penas subiit, nam Christus vita sua plenus erat dominus, (§. XI.) liberrime se ad hanc satisfactionem determinavit, (§. IX.) denique etiam maximum & plane eximium tulit laborum suorum premium, summam scilicet gloriam & exaltationem (§. cit.). His omnibus simul sumtis, nihil iure bonitati divinae obici, nullo modo illa accusari potest, potius Deus convenientissime bonitati sua egit.

SCHOL. Huc etiam referri potest amor Dei in creature, vi cuius earum, ubi in miseriam sunt prolapsae, miseretur, ipsis potentia ac gratia sua succurrit, eam sublevat atque tollit, qui amor in sacra scriptura motivum consilii pacis exhibetur.

§. XIX.

Ens rationale, dum agit, actionis sua finem sibi proponebit: iam finis obtineri non potest, nisi adhibeantur media ad finem consequendum apta: hic actus eligendi actionis sua finem, & media ad illum necessaria, dicitur *sapientia*. Quae cum est perfectio spiritus, Deus quoque illam possidet, ac quoniam perfectiones suas in summo possidet gradu, sapientissimus est: Est igitur sapientia divina illa Dei perfectio, qua optima media ad optimos fines consequendos eligit: quae duo nisi observaret, contra summam suam sapientiam ageret, quod esset contra ideam entis summi atque perfectissimi.

D 2

simi.



simi. Hinc sequitur I. Deus optimum sibi proposuit in operibus suis finem. II. De quocunque fine demonstrari potest, illum fuisse optimum, de illo etiam eo ipso demonstratum est, Deum hunc elegisse, ac non contrariari sapientiae divinæ. Sapientia enim Dei regulis est adstricta, atqui optimus finis est ex illis regulis, ergo a sapientia divina intendi debet. Ex hac ipsa ratione III. dicimus: de quocunque fine ostendi potest, illum non esse optimum, de eo ostensum est, Deum hunc non elegisse. IV. Deus optima, ad optimos fines consequendos, eligit media. V. De quocunque medio demonstrari potest, esse illud optimum ad finem Dei obtinendum, de illo eo ipso demonstratur, sapientiae divinæ non contrariari, & Deum elegisse, ratio est eadem, quæ allegata fuit n. II. VI. De quocunque medio demonstrari potest, illud non optimum fuisse, ad finem Dei consequendum, de eo quoque afirmari potest, illud Deum non adhibuisse, neque adhiberi potuisse, sicque sapientiae Dei contrariari.

§. XX.

Ostendimus §. XVII. salutem creaturarum cum gloria divina simul sumtam, esse ultimum & optimum Dei finem: iam cum Deus optima media ad optimum suum finem elegerit (§. XIX. n. IV.), optima illa media dirigit ad salutem creaturarum, quoniam illa summus & optimus eius est finis. Hinc adseverare possumus: I. Quicquid facit ad salutem creaturarum, neque optimo mundo contrariatur, illud ad optima media pertinere, est censendum, Deumque hoc elegisse (§. citat. n. V.) & contra ea II. quicquid saluti creaturarum obest, cuiusque contrarium per optimum mundum est possi-

possibile, illud non ad optima Dei media pertinere est censendum. Consequenter etiam prius non contrariatur sapientiae divinae, sed potius cum ea concordat, posterius vero illi contrariatur, siveque per perfectiones divinas est impossibile.

§. XXI.

Omne id, per quod aliquid actuatur, vel actuale sit, est medium: per substitutionem vicariam Christi omnino aliquid actuatur, nempe peccata hominum, eorumque penae ab iis in Christum derivantur, immunes fiunt a reatu, siveque servantur & beatitatis aeternae fiunt participes, quae res adhuc ulteriores habet consequencias: ergo substitutio vicaria Christi pro nobis est medium ad hominum salutem. Sed queritur: an hoc medium non aduersetur sapientiae divinae? per substitutionem vicariam bonum illud, quod in quibusdam adfuit hominibus, promovetur (§. XII.), siveque perfectio mundi augetur, alia insuper bona, supra memorata, quaeque per nexus optimi mundi non sunt impossibilia, sed maxime cum ipso convenient, & optimus mundus exigit, (§. XIII. XIV.) hominibus tribuuntur, ergo satisfactione Christi, bonum creaturarum, hinc earum perfectio, hinc earum salus promovetur, ergo est medium ad summum Dei finem, & sapientiae eius non contradicit (§. XX. n. I.). Contra ea, si Deus hoc medium non elegisset, imperfectio hominum & absentia horum honorum, nec non suppressio boni illius, quod iam in hominibus aderat, esse debuissent media ad summum Dei finem: cum autem per parentiam aliquius boni, quod adesse potuisset, & suppressionem aliquius boni, quod promoveri debuisset, perfectio mundi non ad iustum provehitur gradum, hoc medium omnino

D 3

sapien-

❧ ❧

pientiae divinae fuisse contrarium (§. cit. n. II.). Quam-
quam enim substitutione Christi non omnium homi-
num peccata tolluntur, sicque omnes servantur, inde-
que dici posset, malum aliquod, hinc imperfectionem
quorundam hominum esse medium ad summum Dei
finem, adeoque etiam malum & imperfectionem homi-
num in genere, posse esse medium, & quidem medium
eiusdem valoris quam satisfactio Christi, ad summum
Dei finem: tamen hoc non sequitur: nam I. imperfec-
tio & malum hominum damnatorum, vel damnando-
rum, est quidem medium ad summum Dei finem, quo-
niam aliud per optimum mundum, respectu horum
hominum, possibile non est. Etenim si eiusmodi ho-
mines servari debuerint, essent ad salutem suam, id est,
ad fidem & sanctitatem cogendi, quoniam sua sponte
sese ad illam determinare nolunt: libertas vero creatu-
rarum rationalium maior est optimi mundi regula,
quam horum hominum salus, ergo ne Deus potiorem
regulam violaret, hanc imperfectionem permittere de-
buit. Insuper etiam, cum optimus mundus sit specu-
lum & centrum perfectionum divinarum, Deus ipse
sibi adversatus fuisse, si potiorem regulam violasset,
ut minor salva maneret. Sed iam II. alia prorsus est
ratio hominum servitorum, vel servandorum, hi se lib-
errime ad acceptandam satisfactionem, hinc ad fidem
& sanctitatem, hinc ad salutem ipsis oblatam, determi-
nant, ergo impedimentum salutis, quod in prioribus
erat, hic abest, hinc eorum respectu melius medium
datur, & quidem per optimum mundum possibile. Si
igitur Deus sapientiae sua convenientissime agere vo-
luit, hoc medium ipsi respectu horum hominum fuit
eligen-

eligidum, & omissione huius medii sapientiae divinæ fuisset contraria, dum aliquid medium salutis creaturarum suæque gloriæ fuisset possibile, quod non adhibuit (§. X. XI. n. VI.). Hinc resultat, utrumque illud esse medium ad summum Dei finem, posterius autem melius, quam prius. Hinc efficitur, si Deus hoc medio non usus fuisset, illum non optimum habuisse finem, scilicet finis eius tunc fuisset, ex malis creaturarum sibi gloriam parare, quæ tamen ex earum salute melius patratur, insuper illa salus hominum non pertinuerat ad summum Dei finem (§. cit. n. III.). Hinc hoc medium ex omni parte sapientiae Dei est conforme, quinimo illi est necessarium.

§. XXII.

Si Respublica bene est administranda, non omnia per bonitatem debent dirigi, quæ scilicet sepius ad bonum finem obtainendum non optimis uteretur mediis, vel mediis in mala degenerantibus: hinc illi iusti limites sunt figendi, intraque cancellos suos est constringenda, quo sic omnia bene consentiant. Illud, quo bonitas debet temperari, est sapientia, quæ scilicet convenientias rerum observat, quæque videt, quænam sint optima media ad finem obtainendum. Haec duæ perfectiones coniunctæ semper ex æquo bonoque agunt, nempe bona impertiendo, ubi locum habere possunt, illis subditos privando, vel mala infligendo, ubi alia medicina non invenitur. Perfectio hinc restitans *iustitia* dicitur. Eodem modo se habet iustitia divina, quæ scilicet est, bonitas eius cum summa Dei sapientia coniuncta. Ex hac definitione sequentes ducimus propositiones: I. In iustitia Dei semper adest eiusdem bonitas.

II. Sa-



II. Sapientia illa cum bonitate coniuncta, tunc tantum
creaturas bonis privat, malaque illis infligit, cum sua-
det necessitas & summus Dei finis. III. Hinc si bonum
loco mali, salva Dei summa sapientia, potest tribui, iu-
stitia Dei potius bonum eligit, quam malum. Etenim
si iustitia divina sic non esset comparata, quodammodo
cœca dici posset, quæ bonum aut videre, aut facere
nollet, & caderet in eam illud: summum ius, summa
iniuria. IV. Quodcumque igitur bonum creaturis tri-
butum, vel tribuendum non adversatur neque bonita-
ti, neque sapientiæ divinæ, id etiam iustitiæ Dei non
adversatur. Si enim, quod neque bonitati, neque sa-
pientiæ contrariatur, contradiceret iustitiæ diuinæ, iu-
stitia illa essentialia quadam haberet, quorum rationes
neque bonitati, neque sapientiæ inessent; quod vero
cum locum habere non potest, rectam omnino hanc po-
sitionem dūcimus. V. Quodcumque malum creaturis
infligendum contrariatur bonitati & sapientiæ Dei, il-
lud quoque contrariatur eiusdem iustitiæ, ratio est ea-
dem, quæ n. IV.

§. XXIII.

Duo hic nobis occurruunt momenta: Iustitia Dei
in substitutione vicaria, & circa hanc & circa illam
partem versari, ac se exercere debuit. Iustitia Dei se
demonstravit in hominibus redemptis, eo, quod in ope-
re redemptionis & bonitatem & sapientiam suam mani-
festavit, quæ constituant iustitiam; eo, quod homines
illo bono non privavit, quod per nexus rerum erat
possibile; eo, quod loco mali bonum illis tribuit, cum
illud neque bonitati, neque sapientie eius contradice-
ret (§. XVII. XXI. coll. cum §. XXII. n. III. IV.); eo,
quod

quod malum a creaturis averruncavit, quod creaturis
 infictum, contrarium esset & bonitati & sapientiae eius
 (§§. citat.). Fortasse nonnullis paradoxum videbitur,
 quod exinde, quoniam Deus homines non illis bonis
 privavit, quae per bonitatem & sapientiam eius sunt
 possibilia, demonstrare conatus sim, Deum hic iustici-
 am suam exeruisse: sed horum hominum falsus de iu-
 stitia divina conceptus in culpa est, quod sic ratiocinen-
 tur. Num iustitia tantum punit & destruit? num sese
 oblectat malis aliis infictis? nonne ipsi tam essentialie
 est, bonum tribuere, si possibile, quam illi essentialie est,
 malis afficere, si necessitas urget? hi homines si iustitiae
 Dei non sapientiam, certe tamen bonitatem admunt, si-
 bique monstrum aliquod fingunt, quod neque cum ra-
 tione, neque cum sacra scriptura consistere potest. Sed
 iam redeamus in viam. Deus iustitiam suam exeruit
 quoque, eo, quod peccata, eorumque consequentias
 non impunita dimisit, siquidem hoc & sapientiae eius &
 fini & optimo mundo fuisset contrarium, & quamquam
 non in homines peccatores animadvertisit, tamen in eum,
 qui pro iis substitui voluit. Iustitia Dei circa fideius-
 forem versata quoque est, ac fideiussio optime cum
 iustitia illa potest consistere. Etenim Deus bonum pu-
 blicum ante oculos habet, in hoc omnis eius stat cura:
 hinc iustitia Dei iure, cura boni publici dici potest. Iam
 huius fundamentale est statutum & lex, quod, si malo
 aliquo minori, maius possit averti & contra eximum
 bonum produci, quod alias intercidisset, tum minus
 hoc malum est admittendum. Deus igitur, curam bo-
 ni publici gerens, malum, quod servatori generis hu-
 mani obtigit & pressit, tanquam minus malum admit-
 tere,

E

❧

tere, salva sua iustitia, potuit voluitque, quo sic eximium illud bonum, salus nempe creaturarum rationalium, & hinc gloria divina promoveretur. Neque catur hic servatoris exantlatus labor suo præmio (§.IX.), ut hinc iustitia Dei potius eluceat: & servator sele liberrime ad hoc opus determinavit (§. cit.), & plenum habuit in vitam suam & sata dominium, hinc ut ens rationale, his perfectionibus præditum, ipse de se statuere potuit.

§. XXIV.

Deum ens summum & perfectissimum in excelsissimo conspicimus gradu & fastigio, cui omnes obediunt creaturæ & præcepta eius exsequuntur. Hic ille est, quem coelum & terra non capiunt, cuius cogitationes non sunt cogitationes hominum & cuius viæ non sunt viæ hominum, qui est lux, ad quam nemini accessus patet. Hic est ille conceptus, quem sibi homines de maiestate divina formant, neque iniuria, etenim sublime & excelsum aliquid illi inest, quod nosneque capere, neque cogitationibus assequi possumus. Generatim igitur loquendo, dicere licet, Maiestatem divinam in perfectionibus eius simul sumtis, strictius autem loquendo in omnipotentia eius, cum summa sapientia coniuncta, consistere. Quænotio in sensu strictiori omnia essentialia eius comprehendit, quicquid enim de Maiestate prædicatur, ad illa referri potest: & summa potentia sine sapientia non est nisi iniustissimus rerum abusus, & sapientia sine summa potentia non constituit maiestatem, sed sapientem tantum facit virum. Quænotio summum quoque comprehendit intellectum. Si igitur substitutio vicaria non adversari debet

debet maiestati divinæ, debet convenire summo Dei intellectui, ita ut Deus medium illo melius invenire non potuerit: debet dignum esse potentia eius per sapientiam directa. Ad prius decidendum, omnia huius momenta rite sunt perpendenda. Substitutio hæc, ut illam explicuimus §. VI-XII, non contradicit optimo mundo, non subvertit libertatem hominum, homo pro hominibus satisfecit, ex illo scilicet creaturarum genere, quod peccaverat, verum ille cum natura divina coniunctus. Tandem per illud medium tantum boni in mundum invehitur, quantum per alium non exspectes, non solum enim tot hominum myriades servantur, qua conservatione gloria Dei promovetur, verum etiam fideles in hac rerum serie versantes, omni virtutum genere ornantur, & bonum, quod in ipsis est, nova vsque augmenta capit. Quale igitur medium adhiberi potuisset, quod tam felices & ab omni parte beatas habuisset consequentias? nonne hoc est summi intellectus divini opus? Nam limitibus circumscriptus intellectus tot varia & mirabilia tam scito ordine coniunge-re, aut invenire, vel saltem conjectura affequi non potuisset? Hinc elucet, opus hoc redemtionis esse quoque omnipotentia Dei dignum, in eo enim Deus illam sicut in creatione demonstrare potuit, & demonstravit, & quidem illam cum summa sapientia coniunctam, per eamque directam. Nonne vero Maiestate divina indignum censeri debet, quod natura divina cum humana fuerit coniuncta? minime vero. Non enim dicitur: Deus pro hominibus satisfecit, Deus passus est, sed hæc actiones habent suam relationem ad utramque Christi naturam, ita tamen ut humanam passiones, quibus sa-



factio præstabatur, sufferentem sustinuerit. Num igitur Deo indignum est, quod modo supernaturali & miraculoſo in naturam humanam operatus fuerit? Quod fœle huic associaverit? quod illi immediate tot & tantas tribuerit vires, quot & quantæ ad hominum redemtionem ſufficiebant? Impossibile eſt, ut Maiestate divina indignum eſſet id, quod ad optimum mundum requireretur, id, quod bonitati, sapientiæ, iuſtitiæ eius conuenit, per quod gloria ipsius promovetur, &, ut uno dieam verbo, quod ultimo & ſummo eius respondet fini.

§. XXV.

Quæ expoſuimus §. XVI-XXIV. ſacra ſcriptura conſirmat atque docet, quod ſcilicet ſubſtitutio illa viaria non ſolum non repugnet perfectionibus Dei, ſed potius eadē ornet & in maiore ponat luce. *Qualem nobis pater dedit amorem,* inquit Ioannes I ep. III, 1. *ut filii Dei vocemur,* i.e. ſimus, quales nempe ante applicationem redemtionis Christi non eramus, propter peccata noſtra gravia, quæ inimicitiam ponunt inter hominem deumque. Admiratur igitur immensam Dei bonitatem, quæ iſpum adegit, ut homines tanta felicitate bearet. *O! qualis profunditas & diritiarum & sapientiæ & cognitionis Dei!* quam inſcrutabilia iudicia eius, quam incomprehendibiles viae eius! Rom. XI, 33 locutus paulo antea erat de misericordia Dei, quæ omnium miseretur Rom. XI, 32. Idem pronunciat Ephes. II, 4-7. *Deus autem, inquiens, qui dives eſt misericordia, nos mortuos vivificavit una cum Christo, & resuſcitavit & posuit nos in ſupra cœleſtibus in Chriſto Iesu, ut demonstraret ſeculis futuriſ ſuperabundan-*

tes

tes divitias gratiae suæ pro sua benignitate in nos per Christum Iesum. Tandem Paulus in hæc prorumpit verba: quod impossibile erat legi, quæ per carnem infirmata erat, ipse peregit Deus, misitque filium suum, in similitudine carnis peccati, Rom. VIII, 3. Quibus verbis demonstrat, hoc esse opus omnipotentiæ divinæ, eiusdemque summæ sapientiæ: cum per legem, cui homo postulatum obsequium caussa infirmitatis suæ præstare non poterat, via ad vitam non amplius pateret, nostræ infirmitati per filium suum Deus succurrit. Hic enim, quod Phil. II, 6 – 8. docet: *non rapinam esse duxit, similem esse Deo, sed semet ipsum exinanivit, formam servi adsumens, sicut hominibus similis factus.* Non igitur est indignum Deo, quod divina pariter ac humana natura in una fuerit coniuncta persona, nec propterea divina natura detrimenti aliquid est passa: opus hoc mirabile, ex optimo, sapientissimo atque benignissimo consilio Dei proficiscens, non potuit non omnibus numeris atque partibus esse absolutum atque perfectum. Quanta sit perfectio, inde in homines resultans, sacræ literæ satis deprædicant. Locus Pauli Tit. II, 14. insignis est prorsus: *Christus se ipsum, inquit, dedit pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate & purgaret sibi populum peculiarem, aenulum bonorum operum.* Sicque in his ratio & sacra scriptura optime concordant, indeque solidissimum fundamentum huic doctrinæ substernitur.

§. XXVI.

Posset quæri, an Deus, cuius iustitiæ homo se regum fecerat, hanc Christi pro hominibus exhibitam

E 3

solu-



solutionem accipere potuit? Ad quam quæstionem respondemus: Deus hunc mundum, quantum possibile, bonum & optimum esse voluit, eumque talem creavit: homines autem libertate prædicti, eademque minus recte usi, per lapsum malum in mundum intraduxerunt, hinc ille deterior factus. Sed Deus pro sapientia sua atque bonitate imperfectioni mundi mederi voluit. Iam illos tres nobis repræsentemus casus possibles: aut Deus malum omnino impune permittere; aut de iustitia sua remittere debuit, non plus ab homine exigendo, quam in hoc statu depravato implere potest, vel satisfactionem ab hominibus ipsis accipere, & cum hoc possibile non est, permettere, ut unus pro multis satisfaceret & postulata præstaret. Primum illud plane admitti nequit, adversatur quippe ultimo Dei fini, non enim mundus ea sub circumstantia fuisset speculum perfectionum divinarum, non demonstrasset in ipso summam suam sapientiam, neque maiestatem, neque summum suum intellectum declarasset, imo mundus fuisset domicilium omnium malorum, eo magis Deo indignus, cum medicina ipsis adferri potuisset. Neque alterum illud cogitari potest, quod Deus de iustitia sua remiserit; illa quippe summo enti est essentialis; hac igitur ratione Deus sibi ipse contrariatus fuisset, quod impossibile: nec malum, iam in mundum inventum, fuisset sublatum, neque gloria Dei hac ratione manifestata, nec salus hominum promota fuisset, quo enim titulo Deus illos beare, quas ob causas æterna illas afficere potuisset beatitudine? ob quod meritum? Etenim homo sibi ipsis relietus, sine exhortationibus cœlitus datis, sine moti-

motivis ponderosissimis, sine recta institutione, sine
 certa spe, sine vorticordia vi spiritus sancti plus ma-
 li quam boni perpetrat, illudque, quod certo aliquo
 respectu bonum dicitur, non ex certo & iusto pro-
 manat fonte atque motivo, ergo nulla adest causa
 impulsiva, cur Deus illos praemii afficeret. Si dici-
 tur: Deus per bonitatem suam praemii eos maestare
 potuit, respondemus: bonitas Dei ceteris eius perfe-
 ctionibus non potest contradicere, & debet cum optimo
 mundo consentire, eiusmodi autem consensus hic
 non datur, nulla adest ratio, cur bonitas divina sic
 determinaretur, nam in satisfactione Christi, meri-
 tum illius est ratio impulsiva & determinans, cur Deus
 homines aeterna salute beat. Qui etiam est ultimus
 modus, quo Deus finem suum obtainere potest. Dif-
 ficultas hinc emergens esset, si cogitaremus, Chri-
 stum homines ab omni obligatione liberasse, quod
 utique neque per sapientiam, neque per iustitiam Dei
 licet. Nonne homines ad fidem & sanctitatem sunt
 obligati? nonne haec sunt conditiones vitae aeternae?
 ergo nos Christus ab illis tantum liberavit obligationi-
 bus, quibus ipsis satisfacere non possumus, sicut & iu-
 stitia Dei satisfactum est, & imperfectioni mundi, quo
 ad fideles, medela est adjalata, & hiatus, qui per peccatum
 in mundum venit, quodammodo est resarcitus, etenim
 quoad impios ille resarciri non potuit, quippe qui Chri-
 stum & conditiones salutis respiciunt. Christus homi-
 nes verum Dei cultum veramque virtutem docuit,
 per verbum evangelii ipsorum intellectum illuminat,
 tot & tanta ipsis ad bonum motiva dat, per spiritum
 suum ipsorum voluntatem ita alectit, ut recta sequi
 malint.



malint. Hinc Deus finem suum consecutus, salvis o-
mnibus suis perfectionibus, solutionem hanc accipere
potuit. Si homines insuper, cura boni publici, utque
unicuique ius suum tribuatur, substitutioni vicariæ lo-
cum concedunt, quanto magis hoc in Deum cadit, qui
summa sapientia & potentia curam boni publici agit,
& cuique ius suum tribuit. Et si exemplo rem illu-
strare volumus, quod tamen non crude & ab omni
parte hic applicandum est. Sicuti magistratus civilis
in rebellione, capita rebellionis tantum supplicio ad-
ficit, ceteris dimissis; sic etiam hoc in casu Deus mor-
tem unius, quæ eiusdem est valoris cum morte omnium,
destinare & tanquam solutionem debiti accipere
potuit. Quod tamen exemplum non ulterius exten-
di volumus, quam comparationis ratio permittit, sci-
licet ut adpareat, substitutionem vicariam etiam in di-
vinis licitam esse.

§. XXVII.

Non igitur solum substitutio hæc vicaria cum
perfectionibus Dei concordat, verum easdem quam
optime manifestat, inque magna luce ponit, cum
optimo mundo consentit, ac, si verius & planius dice-
re volumus, optimus mundus & perfectiones divinae
illam omnino exigunt, ita ut sine satisfactione Christi,
hic mundus non fuisset optimus, Deus benignitatem
suam, sapientiam, iustitiam, summum suum intellectum
non satis declaravisset, quæ omnia patent ex dictis §.
XIII–XXVI. Sed impossibile, hunc mundum non
esse optimum, impossibile, Deum perfectiones suas
non tantum manifestare, quantum finis suus ultimus
requirit, & quantum per nexus rerum possibile fuit.

Quid

Quid inde sequitur? illud: hanc substitutionem vicariam fuisse hypothetice necessariam. Porro; sancti vi-ri, autores historiae Evangelicae & Epistolae Apostolicae, nos docent, Christum in hunc mundum venisse, docuisse, pro nobis passum fuisse, cet. iam haec omnia optime & cum optimo mundo, & cum perfectionibus Dei consentiunt, easque illustrant. Quod igitur & quale impedimentum, quales rationes adferri possunt, quo minus hanc narrationem pro vera habeamus, eique assentiamur? Certissimum hinc ducere possumus veritatis narrationis huius argumentum, nam omnibus difficultatibus & dubiis remotis, consensum nostrum diutius retinere nequimus. Cum iam satisfactio Christi sit fundamentum religionis Christianae, vero illo fundamento stabilito, vera quoque est nostra religio. Non potest ruere aedificium, fundamento valido superstrutum.

§. XXVIII.

Substitutio vicaria Christi est quoque principium cognoscendi, & motivum colendi Deum, qui tanta in nos fuit bonitate atque misericordia, ut neque unigeniti filii sui pepercerit, verum illum in mortem dederit, ut nos a peccatis nostris redimeret. Quapropter glorificare tenemur ac adorare Deum & dominum nostrum Iesum Christum, Caput totius ecclesie, & fontem omnis nostrae salutis. Vita pia atque sancta nos illi associare, & meritum ipsius per fidem nostrum facere debemus, ut tam in hac, quam in altera vita cum ipso simus & vivamus, cui sit laus & gloria in secula!

F I N I S.

F

EXIMIO

EXIMIO ac DOCTISSIMO AVCTORI RESPONDENTI

S. P. B.

P R A E S E S.

Argumentum graue ac summi momenti pertractandum sumfisti, quod omnem doctrinam reuelatae compaginem peruadit, quodque centrum illius iure optimo adpellari potest: doctrinam illustrandam **TIBI**, eximie RESPONDENS AVCTOR, proposuisti, qua sublata, vel adulterata reliqua veritates reuelatae omnes vel dissuuntur, vel nouus aliquis color iisdem induci debet. Satisfactione Christi, loco & bono hominis peccatoris praestita, omnis salutis nostræ ratio nascitur, quam propius Deus in vtriusque fœderis tabulis ita clare manifestauit, vt, nisi quis vim verbis inferat, illam omnino admittere eademque assensum præbere cogatur. Horum etiam sensum recte adsecuti sunt ecclesiæ christianaæ doctores, qui doctrinam hanc inde a primis eiusdem temporibus, quod Illuſtr. GROTIUS, testimonis illorum in medium adlatis, euictum dedit, sedulo inculcarunt, & tanquam pretiosum aliquid depositum ad posteros transmiserunt. Inuoluit illa *substitutionem vicariam*, quam quoniam aduersarii cum perfectionibus diuinis pugnare autumant, priuatum quidem manifestis Oraculorum sacrorum locutionibus demonstras, per mortem Christi iustitia diuinæ aliquid omnino esse solutum, illam tanquam λυτρον quoddam & αντιλυτρον nobis representari: addi potuisset, ipsam illam sub symbolo sacrificii nobis exhiberi. Inde multa ingenii vi adseruisti, tantum abesse, vt perfectionibus diuinis, bonitat speciatim, sapientia ac iustitia, quibus adiungi potuisset veritas, contrarientur, vt potius eandem, itemque conceptus optimi mundi & finis Dei ultimus necessario efflagitarint. Hæc omnia ita peruciisti, rationum ponderibus communioisti, concinnoque ordine connexuisti, vt doctrinam **TVM**, ingenii ac iudicii aciem abunde declararis. Nec vllus omnino dubito, quin, quæ forte obici queant, ita sis discussurus, vt omnes **TE** & lucubrationis huius ingeniosum auctorem, & felicem eiusdem propagnatorem sint agniti. Quam inde a primo vita academica articulo studiorum ingressus es rationem, illam æquabili cursu es prosecutus, industria nemini celsisti, doctrinam **TVM** nouis vsque incrementis locupletasti, modestia, prudentia, virtute, in **DEVUM** pietate, **TE** omnibus, quibus proprius innotuisti, ita probauisti, vt &

amore

amore & honore te dignum habuerint. Gratulor igitur tibi de specimine docte elucubrato & fortiter propugnando: cumque labore hoc exantlato, discessum moliaris, ex animo precor, ut gratiam diuinam perpetuo comitem habeas, tibi que via paretur, qua eximias animi tui dores in ciuitatis christiana emolumenntum atque decus expromere possis. Vale etiam atque etiam, meque, quod adhuc fecisti, amare perge! Scribeb. Halæ Magdeburg. prid. cal. April. MDCCLVII.

PRÆNOBILISSIMO DISSERTATIONIS AVCTORI,
AMICO SVO INTEGERRIMO

S. P. D.

CAROLVS LVDOV. RICHTER, S. TH. C. OPPONENS.

Quodsi homo eo diutius vixisse iudicaretur, quo felicius vixerit, & quo maiori cum voluptate vita eius fuerit coniuncta, sane existimarem, me eo tempore, quo te familiariter usus sum, multis annis mihi ipsi euasisse superiorem. Tanto amicitia tua mihi semper fuit oblectamentum, tam suavis quisque dies, quo te conspicere, quo te amplecti datum fuit. Gratias igitur tibi pro ea ago, quas grata mea mens concipere potest, maximas. De dissertatione tua, eruditissime sane conscripta, ex animo tibi gratulor. Illa comprobat, quod ex praeclaris ingenii tui dotibus, ac indefessa industria semper conieci, te scilicet orbis litterati deus futurum, ac instrumentum cultus diuini augendi propagandique dignissimum. Nihil iam amplius mihi dicendum restat, quam trifiliatum illud vale, a complexu enim meo sciunctus in patriam concedis, & ego, qui te sequi non possum, quanto mereore adscior! Deum itaque O. M. ardentissimis precibus veneror, ut te seruet saluum & incolumem, omnibusque petitionibus tuis adnuat. Sic viue, vale, meique recordare! Dab. Halæ die xxix. Martii, MDCCLVII.

PRÆNOBILISSIMO AC DOCTISSIMO AVCTORI,
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. D. P.

FRIDER. LVDOV. VICT. SAXENBERG, S. TH. C. OPPON.

Illexit iam optatissimus gratissimusque ille tibi ac amicis tuis dies, qui vitam tuam academicam optime felicissimeque peraram terminat & laboribus ipsius finem assert. Meum propterea esse

esse iudicō, qui **T**E CUM in amoenissima coniunctissima que viuo amicitia, gaudium atque animi mei lætitiam **T**IBI de ha**T**VA felicitate testificari. Maxima sane voluptate sum perfusus, **T**IBIque de confessis studiis academicis ex animo gratulor, cum **T**V ea, uti omnem vitam **T**VAM, sapienter institueris, nihil enim audiuisti, nihil didicisti, nisi profutura, hisce vero tanta quoque diligentia operam dedisti, ut de **T**E tritum istud dici queat: *Nulla dies sine linea.* Quæ omnia egregium doctrinæ ac eruditio[n]is **T**VAE, quod in publicum dedisti specimen, satis probat. Hi labores, hæc diligentia, eiusmodi mores haud facile suo præmio carere possunt, eaque sunt vota mea ac omnium **T**VORVM amicorum, ut **T**IBI omnia prospere fluant atque eueniant. In quo[unque] autem vixeris statu aut loco, **T**E nunquam nostræ coniunctionis ac necessitudinis memoriam esse abieciatur, confido: meus certe animus **T**IBI semper erit addictus. Vale & rest **T**YAS age feliter! Dab. Halæ d.v. cal. April. MDCCCLVII.

DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

SAM. ERN. TIM. STUBENRAUCH, S. TH. C. OPPONENS.

Puici præterlapsi sunt menses, ex quibus post biennium familiariitate **T**VA p[re]sens frui potuerim, & iam iterum dies properat, quo a meo latere divelleris. Iam **T**E omnia ad discessum præparantem, iam sarcinas colligentem video, quod sane maxima me perfundit tristitia, quæ eo fôrrior est atque iustior, quo plures rarioresque in **T**E perspexi perfections, semper enim animi in **T**E estimavi sinceritatem, morum elegantiam, ingenii alacritatem, summam in litteris ac scientiis pertractandis diligenter, totam denique vitæ rationem Theologo dignissimam, hac si perpendo, magis magisque augetur. Sed quantacunque abitus **T**VVS me afficit tristitia, gaudium tamen hodierno die percipio tantum, ut non possim, quin **T**IBI de hoc p[re]claro scientiæ **T**VAE Theologicae specimine ex animo gratuler, **T**IBIque simul pro novo **T**VAE erga me benevolentia, in provincia opponentis mihi demandanda, testimonio, maximas agam gratias. Vade iam ac meritissima diligentia **T**VAE accipe præmia. Vale, ac ut semper amicitiae nostræ sis memor, eamdemque & absens indissolubilem conservare velis, enixe rogo & obsecro. Iterum vale! Dab. Halæ d. xxvii. Martii MDCCCLVII.



Fc 322





DISSERTATIO THEOLOGICA
DEMONSTRANS
**QVOD SVBSTITVTIO VICARIA
IN OPERE REDEMPTIONIS NON
ADVERSETVR PERFECTIO-
NIBVS DEI**

QVAM
SVB AVSPICIIS NVMINIS SVPREMI
PRAESIDE
VIRO SYMME VENERANDO, EXCELLEN-
TISSIMO AC DOCTISSIMO
IOANNE GEORGIO MICHAELIS
S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. AC ILLVSTR. GYMNASII
REFORMAT. EPHORO
FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO
AETERNV M COLEND
AD DIEM V. APRILIS MDCCCLVII.
HORA X IN AVDITORIO GYMNASII MAIORI
DEFENDET
AA.
AV TOR
IOANNES ADOLPHVS SCHWARTZMEYER
BEROLINAS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANN. CHRIST. HENDELII, ACAD. TYPOGR.

